



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. Quid sit proprium, quod est quartum prædicabile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Probatum antecedens, quia proprium primo modo respicit illa sub formalitate solius, ita ut sola talia individua, sed non omnia efficere possit. Proprium secundo modo respicit illa omnia & aliqua alia. Proprium tertio modo respicit omnia & sola, sed non semper, sed accidens quinti prædicabilis respicit inferiora per modum alicuius, quod possit ipsis abesse & adesse; ergo alio modo respiciunt tria prima propria sua inferiora quâ accedens respicit sua.

Respondent ad hoc Complutenses quod licet antecedens sit verum, inde tamen non sequitur, quod habeant rationem proprii simpliciter, sed secundum quid; aut quod pertineant ad quartum prædicabile alio modo, quam reductiue.

10. Hæc responsio non placet, quia reuera dat aduersariis totum quod intendunt, iis enim sufficit quod tria priora propria habeant diuersam prædicabilitatem à prædicabilitate quinti prædicabilis, & trium priorum prædicabilium, quod concedit hæc responsio. Deinde si semel concedatur quod aliquo modo spectent illa tria propria ad quartum prædicabile, non poterit ostendi ratio, cur non pertineant directe, sed solum reductiue; & ratio quam assignant Complutenses (supposito quod reductiue pertineant ad hoc prædicabile) est petitio principij, nimirum quod ad veram rationem proprii directe pertinentis ad hoc prædicabile requiratur necessaria emanatio ab essentia, & conuertibilitas cum ipsa, hoc enim est quod manet in controversia.

Confirmatur hoc, quia illa tria propria prima spectant directe ad aliquod prædicabile ex quinque, de quibus hic agimus, sed non ad aliud quam ad quartum vel quintum; si ad quartum, ergo non reductiue ad illud spectant; si ad quintum, ergo etiam non spectant reductiue ad quartum, quia quod directe spectat ad vnum prædicabile, non debet indirecte spectare ad aliud, sicut quod directe ponitur in vno prædicamento non ponitur indirecte in alio.

11. Dices cum Ioanne & S. Thoma non esse inconueniens, illud, quod simpliciter spectat ad vnum prædicabile, spectare secundum quid ad aliud, sicut rationale respectu Petri & Pauli habet rationem differentie, & respectu huius aut illius rationalis habet rationem speciei.

Contra, quia rationale, ut respicit Petrum & Paulum tanquam differentia, directissime pertinet ad tertium prædicabile, & ut respicit hoc & illud rationale, spectat directissime ad secundum prædicabile non minus quam natura humana: ergo non habetur ex hoc exemplo, illud, quod spectat directe ad vnum prædicabile, spectare posse indirecte ad aliud prædicabile, sed potius quod spectare possit directe ad illud.

Contra secundo, quia aliud est quoddam vnum & idem possit secundum diuersas rationes spectare ad diuersa prædicabilia, quod non nego, & conuincitur illo exemplo de rationali aliisque plurimis; aliud vero, quod aliquid, ut comparatur ad eadem, possit spectare, aut directe ad plura prædicabilia, aut indirecte ad vnum, & directe ad aliud, quod negatur in confirmatione præmissa. Vnde si prima tria propria, ut respiciunt illa, respectu quorum dicuntur propria, directe pertinent ad quintum prædicabile, non debent, quatenus illa ipsa respiciunt, dici spectare indirecte ad quartum prædicabile aut vllum aliud.

Respondet ergo aliter ad obiectionem distinguendo antecedens: aliquo peculiari modo, qui extrahat ipsos à ratione quinti prædicabilis, nego; qui non extrahat, transeat antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis concedo, quod illa tria propria respiciunt sua inferiora sub illa ratione, sed nego, quod illa ratio tollat quo minus illa ipsa respiciant ut accedens quinti prædicabilis; & nego, quod accedens quinti prædicabilis ita respiciat per modum potentis abesse & adesse, ut excludat, quod respiciat illa aut ut sola, aut ut non sola.

QVÆSTIO II.

Quid sit Proprium quod est quartum prædicabile.

12. Porphyrius definitur proprium quarto modo, quod solum est quartum prædicabile, ut patet ex dictis, esse quod accidit soli alicui speciei, & omni, ac semper: Aristoteles autem 1. Top. capit. 4. dicit proprium esse, quod

non indicat esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur. Hæc duæ descriptiones in re conueniunt, nam quod dicitur in secunda proprium non indicare esse rei, hoc est non esse prædicatum essentiale rei, cui conuenit, significatur in prima per ly *accidit*, hoc est, est extra essentiam rei. Et quod dicitur in prima, quod soli speciei & omni & semper conueniat, significatur in secunda, dum dicitur, quod soli inest, ac quod conuersim prædicatur, hoc est quod de quocumque potest prædicari illa species, cui soli inest; de eodem prædicatur proprium, & de quocumque prædicatur proprium, de eodem prædicatur illa species; quod non posset esse verum, nisi soli illi speciei ac omni individuo eius semper conueniret.

Quæritur ergo hic, an bene definiatur proprium his definitionibus; quæ difficultas potest esse tam de proprio metaphysico, hoc est de illa formalitate, quæ vere inest rei, & denominatur vniuersale, & est prædicabile, quantum de proprio logico, hoc est de illa ipsa formalitate, ut est vniuersale seu prædicabile formaliter.

CONCLUSIO.

13. Prædictæ definitiones sunt bonæ, & possunt applicari proprio tam primo quam secundo intentionaliter accepto: clarius tamen definiatur proprium secundo intentionaliter acceptum, dicendo quod esset illud, quod posset prædicari de multis in quale, tanquam aliquid ipsis conueniens non essentialiter, sed necessario tamen. Hæc conclusio est in re communis, & probatur prima pars, quod scilicet illæ definitiones sunt bonæ, quia declarant naturam quarti prædicabilis, ut distinguitur à cæteris vniuersalibus, ut patet ex dictis inter explicandam conuenientiam earum. *Secunda pars patet*, quia si intelligatur per *accidit*, quod conueniat seu inest omnibus ac solis illis, quibus inest species, cui per se primo conuenit per modum alicuius, quod non est de essentia, habet tamen necessariam connexionem cum essentia ita, ut ubique ipsam comitetur, declarat bene naturam proprii metaphysici & primo intentionaliter accepti, potest autem sine dubio illo modo explicari ly *accidit*: ergo possunt accommodari proprio metaphysico.

Rursus, si intelligatur per ly *accidit* quod accidentaliter prædicetur, hoc est per modum alicuius prædicati non essentialis, sed necessario tamen conueniens omnibus, quibus conuenit species, à qua emanat, declarat naturam proprii logici, seu secundo intentionaliter accepti, & potest etiam id intelligi per ly *accidit*: ergo possunt illas definitiones accommodari proprio logico.

Tertia denique pars patet, quia tollitur æquiuocatio, quæ est in ly *accidit*, seu conuenit, quod potest accipi sic ut possit accommodari proprio metaphysico & logico, & expresse ponitur prædicabilitas peculiaris, quâ habet proprium logicum, & per quam distinguitur à cæteris prædicabilibus: ergo clarius est illa descriptio, quam alia illarum descriptiones. Ut autem pateat, quod hæc descriptio clarius sit etiam bona, & ut exactius cognoscamus naturam quarti prædicabilis, declaranda est vterius per singulas partes. Dicitur ergo, quod Proprium sit *prædicabile de multis*, in quo tanquam in genere conuenit cum cæteris vniuersalibus logicis. Dicitur *in quale*, per quod distinguitur à genere & specie. Dicitur *tanquam aliquid non essentialiter*, per quod distinguitur à differentia, quæ prædicatur in quale quid, hoc est tanquam aliquid determinatum essentialiter. Dicitur *necessario tamen conueniens*, ut distingatur ab accidente, quod prædicatur in quale non essentialiter, nec etiam necessario.

15. Circa vero hanc particulam est difficultas non levis, de qua necessitate fiat hic mentio, an de necessitate simpliciter, etiam in ordine ad potentiam absolutam, ita ut sit tam necessaria connexio proprietatis pertinentis ad quartum prædicabile cum suo subiecto, seu cum illa essentia, cum qua est conuertibilis, ut nec de potentia absoluta possit reperiri sine illa, nec è contra illa sine proprietate; an vero sufficiat necessitas naturalis exigentia sic, ut connaturaliter petat illa essentia habere illam proprietatem taliter, ut non possit naturaliter nec de potentia ordinata ab inuicem separari.

Thomista communiter videntur exigere solam hanc ultimam necessitatem, & negare necessitatem priorem respectu vilius proprii; *Scotista* vero communiter videntur exigere priorem necessitatem. *Auersa* verò hic putat proprium, ut sic, non exigere determinatè vllam ex illis necessitatibus cum exclusione alterius, tener enim aliqua propria non esse realiter distincta à speciebus, quibus conueniunt, sed solum formaliter, & consequenter tenere debet, quod huiusmodi propria sint tam connexa, ut nec per Dei potentiam absolutam possint separari: & præterea tenent alia propria dari, quæ non habent talem identificationem aut necessitatem cum subiectis, ut nequeant de potentia Dei absoluta separari: & huiusmodi dicit esse, quantitatem respectu substantiæ materialis, quæ omni & soli tali substantiæ conuenit, & quidem non essentialiter, sed necessario tamen ita, ut naturaliter nulla quantitas possit esse absque substantia materiali, nec vlla substantia materialis absque quantitate. Pro determinatione huius difficultatis sic

CONCLUSIO II.

16. *Dantur aliqua proprietates quarto modo; quæ sunt realiter identificata speciebus, quarum sunt proprietates; & consequenter nequeunt separari de potentia absoluta.* Hæc est *Scotistarum* cum *Doctore* q. 30. *Vniuers.* quos sequitur *Auersa* hic.

*Probat*ur, quia aptitudo subiecti alicuius absoluti, v. g. substantiæ intellectualis ad intelligendum est proprietates ipsius; sed nec de potentia Dei absoluta potest ab ipsa separari: ergo realiter identificatur ipsi. *Probat*ur maior, quia non est prædicatum essentiale ipsi, nullus enim respectus potest esse de essentia absoluti; nec accidentale de quinto prædicabili, quia emanat ab illa essentia & est conuertibilis cum illa. *Probat*ur minor, quia Deus nequit facere, ut substantia talis non sit exigens intelligere ex natura sua intrinseca, sicut non potest facere, ut ignis non sit exigens calorem; & consequenter nequit facere, ut sit sine aptitudine ad intelligendum, quæ nihil aliud est, quam talis exigentia. *Rursus* nequit facere ut talis exigentia, seu aptitudo sit absque tali substantia, sicut nec potest facere ut vllus respectus sit absque suo fundamento propter essentialem dependentiam respectus à suo fundamento. *Probat*ur denique consequentia, quia, quæ separari nequeunt de potentia absoluta, identificantur, nisi vnum includatur intrinsece in altero, aut nisi vnum ut causa realiter producat alterum, aut nisi subiectentur in subiectis realiter distinctis: sed substantia intellectualis non includitur in essentia istius aptitudinis seu exigentiæ, nullum enim absolutum includitur intrinsece in respectivo, nec producit efficienter essentiam reali illam aptitudinem: nam aliàs posset impediti eius productio à Deo: Deus enim libere concurret cum quacumque causa creata efficiente per efficientiam veram & realem ac physicam, ita ut posset non concurrere, & si non concurreret, non esset causa illa secunda propter essentialem dependentiam omnis causæ actiue secundæ à Deo in essendo & operando; nec subiectantur in subiectis realiter distinctis: ergo si habeant necessariam connexionem, realiter identificantur.

17. *Confirmatur primò*, quia nullum est indicium separabilitatis aut distinctionis huiusmodi proprietatis à suis subiectis: ergo non debet asseri, propter commune axioma quod non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Confirmatur secundo, quia vnitatis, veritatis, & bonitatis sunt proprietates entis ut sic, secundum omnes, & tamen nequeunt, etià de potentia Dei absoluta, separari ab ente.

Confirmatur tertio, quia si substantia intellectualis posset esse etiam de potentia absoluta absque aptitudine ad intelligendum, aut homo absque aptitudine ad ridendum, daretur processus in infinitum, quod est absurdum: ergo non potest sic esse. *Probat*ur sequela antecedentis, quia si posset substantia intellectualis existere sine aptitudine ad intelligendum, aut homo sine risibilitate, tum potuissent recipere illas aptitudines, & haberent aptitudinem ad hoc magis quam haberet lapis: Quæro ergo de illa aptitudine, an possit esse separabilis: si dicatur quod sic, tunc habebitur alia aptitudo ad illam, & sic in infinitum; si di-

catur quod non; ergo habetur intentum, quod aliqua proprietas nequeat separari: & præterea qua ratione id diceretur de secunda illa aptitudine, dici deberet de prima, quia est eadem ratio: imò superflue poneretur illa secunda aptitudo.

18. *Dices*: ad aptitudinem illam primam non daretur in natura aliqua alia aptitudo formalis, sed tantum fundamentalis.

Contra, quia ideo dicitur homo habere aptitudinem formalem ad risum, quia potest esse sine risu & habere risum, & hoc ex exigentia connaturali suæ naturæ: ergo si potest esse sine illa aptitudine & cum illa, & hoc ex exigentia suæ naturæ, dicit aptitudinem formalem ad illam aptitudinem. Et sanè qua ratione diceretur non habere aptitudinem formalem, sed fundamentalem ad illam aptitudinem, posset dici non habere aptitudinem formalem ad ipsum risum, sed fundamentalem.

Dices, disparitatem esse quod aptitudo sit aptitudo, & quod ad aptitudinem non possit dari alia aptitudo formalis; risus vero non sit aptitudo, & consequenter quod ad ipsum possit dari alia aptitudo formalis.

Contra primò, quia si aptitudo posset separari à subiecto, non esset aptitudo.

Contra secundo, quia si potest aliquid realiter distinctum, & separabile recipi absque aptitudine formali per fundamentalem aptitudinem, non est vlla ratio, cur risus, quamvis non sit aptitudo, nequeat recipi absque aptitudine formali.

19. *Obiicit* Philosophum 7. *Met.* ubi dicit, quod substantia sit prius tempore, quam accidens: ergo potest esse sine accidente, & consequenter sine proprio.

Respondeo distinguendo maiorem: quam accidens quinti prædicabilis, vel accidens prædicamentale, quod scilicet, natum est inhærere, transeat, quam accidens illud, quod dicitur tale ex eo solo, quod sit extra essentiam rei, nego antecedens. Et similiter distinguo primum consequens, & nego ultimam consequentiam.

Obiicit secundo: causa distinguitur realiter à suo effectu, sed subiectum est causa passionis: ergo distinguuntur realiter ab illa, & consequenter vnum ex illis potest esse sine alio.

Respondeo distinguendo maiorem: causa propria & physica, concedo; causa impropria & metaphysica, nego: subiectum autem non est nisi causa impropria & metaphysica propriæ passionis.

Et si queratur, unde colligatur quod subiectum non sit causa propria & physica: *Respondeo* ex eo, quod non distinguuntur realiter, hoc autem colligo ex fundamentis conclusionis. Et si ulterius queratur quid sit causa physica & propria proprii. *Respondeo* esse illam, quæ est causa subiecti.

20. *Obiicit tertio*, Passio seu proprietas pertinet ad prædicamentum qualitatis, est enim tertia species ipsius: ergo distinguitur realiter à substantia: prædicamenta enim distinguuntur realiter.

Respondeo, passionem, quæ est proprietas substantiæ, non pertinere ad illud prædicamentum, nec esse tertiam speciem illius, de quo in prædicamento Qualitatis.

Obiicit ultimo: nihil virtualiter tale potest esse formaliter tale: sed essentia hominis est virtualiter risibilis: ergo non est formaliter risibilis, & consequenter risibilitas non est identificata ipsi realiter.

Respondeo, distinguendo maiorem: secundum eandem rationem, concedo; secundum diuersam, nego; & certe, sicut ignis est virtualiter calidus, quatenus potest producere calorem, & formaliter calidus, quatenus habet calorem productum in se; quare essentia hominis non posset dici virtualiter risibilis, ut esset principium, à quo risibilitas emanat, & formaliter risibilis, quatenus habet in se risibilitatem.

CONCLUSIO III.

21. *Probabile est omne proprium quarti prædicabilis esse sic necessario coniunctum subiecto, quod nequeat de potentia absoluta conservari absque subiecto, nec subiectum absque illo.* Hæc est conformis *Scotitis* & *Scoto*.

Datur aliqua proprietas realiter identificata subiectis.

Omne proprium est realiter identificatum subiecto.

Scoto supra, patetque vnica ratione sufficienti, quia ly *necessario* positum in definitione proprii, potest significare huiusmodi necessitatem absolutam; & conuertibilis prædicatio, quæ est inter essentiam & proprietatem seu propriam passionem, potest sic intelligi, vt non possit vlla ratione fieri aliter, quin de quocumque prædicari possit vnum, de eo possit prædicari alterum; & rursus quod dicitur Porphyrius in fine capitis de proprio quarto modo, quod emanet ex essentia rei, potest intelligi de emanatione metaphysica, & necessaria necessitate absoluta in ordine ad quamcumque potentiam. Si autem hæc hoc modo intelligantur, certum est quod omne proprium quarti prædicabilis sit necessario connexum cum suo subiecto necessitate absoluta in ordine ad quamcumque potentiam.

22. Quod autem possint probabiliter sic intelligi, probatur primo quia nihil est in contrarium; secundo, quia omnia illa, quæ sunt vere accidentia, potius ad quintum prædicabilem reduci debent, si possunt, quam aliqua ad quintum, aliqua ad quartum; sed propria realiter separabilia per diuinam potentiam sunt vere accidentia, & potentia adesse & abesse absque subiecti corruptione, ac vere ipsis inherenteria non minus, quam albedo parietis: ergo omnia illa ad quintum prædicabilem reduci possunt. Tercio, quia si propria aliqua quarti prædicabilis possent separari, & alia non possent, vix posset assignari aliqua vna ratio proprii vt sic, nam per ly *necessario* non significaretur aliquis vnus determinatus conceptus; explicari enim deberet sic, vt significaret vel necessitatem absolutam, vel necessitatem naturalem disiunctiue; neque ab vtraque necessitate videtur posse abstrahi aliqua vna determinata ratio, secundum quam proprium vt sic posset distingui ab accidente quinti prædicabilis & aliis prædicabilibus. Quarto, quia aliqua accidentia naturaliter inseparabilia, sed separabilia de potentia absoluta, spectant ad quintum prædicabile, ergo omnia accidentia sic inseparabilia ad ipsum reduci debent.

23. Confirmatur, quia non potest intelligi quomodo definitio accidentis assignata à Porphyrio, nimirum quod possit abesse absque subiecti corruptione, competat accidentibus vllis, & non possit competere proprio de potentia absoluta separabili: ergo si illa definitio competat alicui accidenti inseparabili, competit etiam proprio separabili, & consequenter proprio, separabile de potentia absoluta, erit quinti prædicabilis tam bene, quam vllum accidens naturaliter inseparabile. Probatur antecedens, quia illa accidentia inseparabilia eatenus possunt abesse absque subiecti corruptione, verbi gratia albedo respectu niuis, nigredo respectu corui, calor respectu ignis, vel quatenus supernaturaliter subiecta, quibus competit, possunt conservari sine ipsis, vel quatenus possunt intelligi subiecta illa quoad essentiam non intellectis illis accidentibus, vt eum *S. Thoma opusc. 4. c. 8.*, *Chalcidius*, *Sotus*, *Toletus* intelligunt, vel quatenus possunt intelligi illa subiecta cum oppositis accidentibus absque destructione suæ essentiae, vt sentit *Auerſa*; vel quatenus possunt intelligi cum non existentia istorum accidentium; vt idem etiam sentit; vel quia si supponeretur separatio talis accidentis, adhuc non sequeretur destructio subiecti quoad essentiam: sed omnibus his modis potest abesse proprium, diuina potentia separabile, absque subiecti corruptione, v. g. substantia materialis potest supernaturaliter conservari sine quantitate, & naturaliter intelligi non intellecta quantitate, & opposito quantitatis, si detur oppositum ipsius; & denique tam bene potest intelligi cum non existentia quantitatis, quam coruus potest intelligi cum non existentia nigredinis, & si poneretur absentia quantitatis, seu separatio eius à substantia materiali, non sequeretur destructio istius substantiæ magis, quam sequitur destructio corui ex suppositione quod separaretur eius nigredo; vnde de facto si conservaretur per diuinam potentiam substantia materialis absque quantitate, certum est quod non destrueretur.

24. Dices, non intelligi quod subiectum proprietatis destrueretur separata proprietate, materialiter loquendo,

hoc est secundum suam entitatem; sed si separaretur formaliter, hoc est, si separaretur ita, vt subiectum illam non exigeret.

Contra, quia si separaretur etiam nigredo corui ita, vt non exigeretur à coruo, similiter destrueretur essentia corui; aut certe non destrueretur essentia substantiæ materialis, si separaretur quantitas eius taliter, vt ipsam non exigeret.

Dices, separabilitatem accidentis inseparabilis absque subiecti corruptione consistere in hoc, quod non conueniat omni, aut quod non conueniat semper.

Contra, si hoc intelligeretur in definitione accidentis, dum dicitur quod possit abesse subiecto, non esset necessarium addere absque subiecti corruptione, sed sufficeret dicere quod esset aliquod extra essentiam competens alicui speciei, sed vel non soli, vel non omni etiam individuo vel non semper.

Præterea proprium de potentia absoluta separabile non conuenit semper omni individuo speciei, cum scilicet quando separaretur. Vltimus manifestum est, quod Porphyrius int. illexit absentiam eiusdem numero accidentis ita, vt omnis illa vna numero forma, quæ potest alicui subiecto abesse absque eius corruptione seu destructione, sit accidens, siue possit competere aliis subiectis secundum speciem, siue non possit.

Denique, si quantitas, verbi gratia, siue eadem numero, siue eadem specie cum quantitate substantiæ materialis posset competere etiam naturaliter aliis substantiis non materialibus, non propterea destrueretur eius essentia; cur enim destrueretur, si communicaretur etiam naturaliter quantitas Angelorum, quamuis enim aliquod subiectum conaturaliter exigit habere aliquam formam, tamen nunquam exigit vt aliud subiectum illam non exigit, nisi quatenus officeret ipsi, quod aliud subiectum illam haberet sed substantiæ materiali non officeret quod Angelus haberet quantitatem: ergo non potest exigere substantia materialis, vt Angelus non habeat quantitatem, & consequenter quamuis Angelus eam haberet, adhuc non destrueretur vlla ratione essentia substantiæ materialis.

25. Dices pro *Auerſa*: quantitas omni & soli & semper substantiæ materiali conuenit, & hoc ex exigentia eiusdem substantiæ: ergo quantitas respectu talis substantiæ erit proprietas, quandoquidem conueniat ipsi proprietatis definitioni.

Respondeo negando antecedens, quia de facto quantitas Eucharistica non conuenit substantiæ materiali vlli, ergo non prædicatur semper de substantia materiali; quod si prædicaretur etiam semper, adhuc hoc non sufficeret, sed deberet ita posse prædicari, vt de potentia absoluta non posset dari vlla substantia materialis absque quantitate.

Dices, illam semper prædicari posse naturaliter loquendo de omni & sola substantia materiali, & hoc sufficere ad proprium, ipsumque distinguere ab accidentibus inseparabilibus quinti prædicabilis, quia hæc conueniunt alijs quoad speciem v. g. nigredo conuenit alijs subiectis à coruo, & albedo alijs subiectis à niue.

Respondeo negando, quod id sufficiat: & licet distingueretur per hoc ab accidentibus naturaliter separabilibus & inseparabilibus illis, quæ secundum speciem competere possent alijs subiectis, tamen hoc non tollit, quominus ratio accidentis, vt sic, possit ipsis competere, & consequenter non facit, vt spectent ad quartum prædicabile & non ad quintum, quia accidentia inseparabilia, potentia naturaliter competere alijs subiectis, & accidentia inseparabilia, quæ non possunt competere alijs subiectis, bene spectare possunt ad idem prædicabile.

Ex his patet, per ly *necessario conuenit*, positum in definitione proprii quarto modo, intelligi necessitatem simpliciter in ordine ad quamcumque potentiam; & consequenter manet explicata sufficienter tota definitio proprii approbata in prima conclusione. Contra quam,

26. Obicitur primo: calor dicitur proprietas ignis, sed tamen non soli igni competit; ergo male dicitur quod soli debeat competere.

Respondeo distinguendo maiorem: est proprietas eius metaphysica, quæ sola spectat ad hoc prædicabile quatum, nego; proprietas physica spectans ad quatum prædicabile concedo maiorem; & concessa minori, nego consequentiam.

Obiicies secundò: Dantur aliqua propria quarti prædicabilis, quæ non conueniunt soli speciei: ergo male definitur proprium esse, quod conuenit soli speciei. Probatur antecedens, quia aptitudo ad sentiendum est proprietas hominis; sed tamen aliis rebus conuenit, quam homini, ut brutis: ergo datur aliquid proprium, quod non conuenit soli speciei. Probatur maior, quia illa aptitudo non est nec genus, nec species, nec differentia vlla hominis vllius, nec accidens quinti prædicabilis, cum nequeat etiam de potentia Dei absoluta ab homine separari; ergo debet esse quarti prædicabilis.

27. *Respondeo* distinguendo antecedens, quæ non conueniunt soli speciei infimæ, concedo; quæ non conueniunt soli speciei infimæ vel subalternæ, vel cuiuscumque, à qua formaliter emanat, aut cui per se primò competit, nego antecedens; & concessa maiori ac minori probationis distinguo similiter consequens: quæ non conuenit soli speciei infimæ, concedo; quæ non conuenit soli speciei infimæ aut subalternæ, nego consequentiam. Itaque quando dicitur quod proprietas conueniat soli speciei, & omni indiuiduo eius, hoc omnino debet intelligi de specie illa seu ratione formali, ratione cuius conuenit proprietas indiuiduis, non verò de specie infima illorum indiuiduorum; verbi gratia sensitiuitas est proprietas Petri & Pauli, & conuenit ipsis præcise non ratione rationalitatis, nec quatenus homines sunt, sed quatenus sunt animalia, unde sensitiuitas non debet competere soli homini seu speciei humanæ, & indiuiduis eius omnibus ac solis, sed soli animali & omnibus eius ac solis indiuiduis ita, ut omne indiuiduum, quod est animal, sit necessario sensitiuum & nullum indiuiduum, quod non est animal, sit sensitiuum. Unde patet dari duo genera Propriorum, vnum eorum, quæ non sunt infimæ, aliud eorum quæ sunt infimæ.

28. *Et si queratur*, an sint distinctæ speciei in esse prædicabilis.

Respondendum conformiter ad resolutionem datam supra de differentia num. 15. probabile esse quod sint distinctæ a speciei.

Et si queratur rursus, in ordine ad quid constitutur proprium in esse vniuersalis & prædicabilis. *Respondetur* quod in ordine ad inferiora speciei illius, cui immediate competit, seu à qua immediate emanat; verbi gratia sensitiuitas constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad omnia indiuidua animalis, & risibilitas in ordine ad omnia indiuidua hominis, quia debent esse aliqua plura & inferiora, in ordine ad quæ constitutur in esse talis, sed non sunt alia plura præter illa inferiora & indiuidua, respectu quorum possit habere rationem quarti prædicabilis.

29. *Confirmatur* per omnia, quæ dicta sunt de Differentia supra disput. 7. num. 22.

Dices: per ordinem ad illa proprium dicitur vniuersale, quibus est proprium: sed indiuiduis speciei est commune & non proprium: ergo non est vniuersale in ordine ad illa, sed potius ad speciem.

Respondet Auerſa hic scilicet. 3. negando minorem, dicit enim quod habeat rationem proprii per ordinem ad naturam seu speciem à qua profuit immediate, rationem vero vniuersalis in ordine ad inferiora illius speciei.

Sed responderi potest aliter, negando minorem, potest enim esse proprium & commune respectu eorumdem inferiorum, commune quidem, quatenus participatur ab omnibus simul cum natura specifica, proprium vero quatenus non participatur ab aliis, & necessario consequitur ipsa; & sicut differentia, licet sit communis inferioribus suæ speciei, est tamen differentia eorum non quidem qua differant inter se, sed qua differant ab aliis: ita proprium, licet sit commune omnibus inferioribus alicuius speciei, potest tamen esse cuiuslibet eorum proprium; non quidē quasi aliis indiuiduis eiusdem speciei non cōpeteret æque sed quod non competat vlli indiuiduo alterius speciei.

DISPUTATIO IX.

DE ACCIDENTE,

Quod est quintum Prædicabile.

ACCIDENTI S huius tres assignat definitiones seu descriptiones Porphyrius, quarum hæc est prima: *Accidens est quod potest adesse & abesse præter subiecti corruptionem*, ut calor se habet respectu corporis. Secunda: *Accidens est quod contingit eidem inesse & non inesse*. Tercia: *Accidens est quod neque est genus, nec differentia, nec proprium; inest autem subiecto*. Ex his definitionibus tertia, cuius sensus est, quod illud sit accidens quintum prædicabile, quod cum possit prædicari de pluribus, non est prædicabile de illis vllò modo ex illis, quibus quatuor prima prædicabilia possunt prædicari de pluribus, minus valet, quia quamuis hoc sit verissimum, & sufficientissime posset aliquis cognoscere, aliud prædicabile pertinere ad quintum prædicabile ex eo, quod videret illud non posse prædicari vllò ex illis modis; tamen non propterea sufficienter declaratur natura quinti prædicabilis per hæc descriptionem positum, sed solum negatiue; quia non ostenditur modus particularis prædicandi, qui competit quinto prædicabili, sed potius ostenduntur modi prædicandi, qui non competunt ipsi, & propterea ut quis cognosceret aliquid spectare ad quintum prædicabile, deberet, si aliam non haberet descriptionem quam hanc, percurrere modos prædicandi cæterorum prædicabilium, ut videat an aliquis ex illis ipsi conueniat. Quare communiter præferuntur duæ primæ definitiones, quæ in re conueniunt: unde solam primam particulariter hic examinabimus, quæ frequentius est in usu.

QVÆSTIO VNICA.

Virum bona sit prima Accidentis descriptio.

2. **S**uppono cum communi sententia prædictam descriptionem primam, qua dicitur: *Accidens esse quod possit abesse & adesse præter subiecti corruptionem*; posse accommodari accidenti tam primo, quam secundo intentionaliter sumpto; nam si intelligatur per *abesse & adesse*, quod possit realiter coniungi & separari cum illo, respectu cuius dicitur accidens, conuenit accidenti primo intentionaliter sumpto; & si intelligatur per *abesse & adesse*, quod possit prædicari contingenter de pluribus, hoc est tanquam aliquid, quod ipsis contingenter accidit, conuenit accidenti secundo intentionaliter sumpto: potest autem sine dubio vtroque modo intelligi illa descriptio. Sed sane longe clarius describeretur accidens secundo intentionaliter sumptum, si diceretur esse: *quod potest prædicari de pluribus contingenter, seu non necessario*.

CONCLUSIO.

3. *Illā descriptio est bona*. Hæc est communis, & patet, quia conuenit omni & soli accidenti, & in ea abique superfluitate ostenditur positivæ naturæ accidentis, prout distinguitur à cæteris vniuersalibus, constatque genere & differentia: nam per hoc quod dicatur conuenire posse subiecto, hoc est pluribus cum multiplicatione, de quibus affirmari possit, vere exprimitur ratio vniuersalis ut sic, quæ est genus, in quo conuenit cum cæteris vniuersalibus: & per hoc quod dicitur, quod ita conueniat illis pluribus, ut absque ipsorum destructione possit non conuenire ipsis, exprimitur eius differentia, qua differt à cæteris vniuersalibus: neque enim est vllum ex cæteris vniuersalibus, quod non necessario conuenit pluribus illis, quibus possunt inesse, & de quibus possunt prædicari, ita ut de potentia absoluta non possit fieri, maxime in nostra sententia, ut separaretur: nullum est autem accidens quinti prædicabilis, quod ita necessario conuenit illis pluribus, quibus accidit, quin de potentia absoluta possint esse illa plura absque illo. Et quamuis Porphyrius diuidat accidens quinti

An proprium sit species infima vniuersalis.

In ordine ad quid constitutur in esse vniuersalis.

Definitio prima accidentis potest accommodari metaphysico & logico.

Definitio prima accidentis est bona.